

NOUVELLES ANNALES DE MATHÉMATIQUES

C. HOLST

Nécrologie. M. Hansteen

*Nouvelles annales de mathématiques 2^e série, tome 12
(1873), p. 433-435*

<http://www.numdam.org/item?id=NAM_1873_2_12_433_0>

© Nouvelles annales de mathématiques, 1873, tous droits réservés.

L'accès aux archives de la revue « Nouvelles annales de mathématiques » implique l'accord avec les conditions générales d'utilisation (<http://www.numdam.org/conditions>). Toute utilisation commerciale ou impression systématique est constitutive d'une infraction pénale. Toute copie ou impression de ce fichier doit contenir la présente mention de copyright.

NUMDAM

*Article numérisé dans le cadre du programme
Numérisation de documents anciens mathématiques
<http://www.numdam.org/>*

NÉCROLOGIE.

UNIVERSITAS REGIA FREDERICIANA

CHRISTOPHORUM HANSTEEN

MATHESEOS APPLICATÆ QUONDAM PROFESSOREM
VIRUM INGENII DOCTRINÆQUE LAUDIBUS CELEBRATISSIMUM
EX HUJUS ACADEMIÆ FUNDATORIBUS SOLUM HUCUSQUE SUPERSTITEM
DIE XI MENS. APR., ANNO ÆTATIS LXXXIX MORTE DEFUNCTUM ESSÈ,
HIS LITTERIS INDICAT.

Natus est Hanstenius noster Christianiæ die xxvi mens. Septembr. anno superioris sæculi octogesimo quarto, patre Johanne Matthia Hansteen, vectigalibus regiis præfecto, matre Anna Catharina Treschow. Ex schola cathedrali Christianiensi, cuius tum rector erat Nicolaus Treschow (postea philosophiæ, primum Hauniæ, deinde Christianiæ professor celeberrimus, postremo regiis consiliis adhibitus), in Academiam Hauniensem anno MDCCCI dimissus est. Juris scientiæ, cui se primo dederat, mature valedixit, et anno MDCCCVI collega Gymnasii Fredericoburgensis, quod in Selandia est, constitutus, disciplinas mathematicas docere coepit, quo factum est, ut paulatim se harum artium studio totum dicaret. Sex annis post Hanstenius præmium, quod Societas scientiarum Reg. Hauniensis ei pollicita erat, qui de magnetismo terrestri optime scripsisset, summa cum laude reportavit et hoc primo opere, quod typis non divulgatum est, ita eruditorum hominum oculos in se convertit, ut mox in nova Universitate, quam Fredericus VI Norvagis, assiduis precibus jam dudum academicam institutionem potentibus, tandem concesserat, professor de-

signaretur. Anno **Mdccccxiv**, quo tempore salus patriæ summum discrimen adire videbatur, Hanstenius, in patriam redux factus, munus academicum accepit. Paucis tantum præceptoribus Musarum Christianiensium infan-
tia gaudebat, et deerat prorsus supellex, qua iis potissimum opus est, qui rebus naturalibus scrutandis et expli-
candis vacant. Hanstenius igitur, quum astronomici doc-
toris provincia ei demandata esset, observationes primo domi suæ, deinde in ligneo tugurio hunc in usum ædifi-
cato, facere incepit, mutuato tantum sextante ac horolo-
gio pendulo instructus. Sed nihilominus animus solers ac constans victor evasit. In magnetismo terrestri, cui primitias studiorum sacraverat, observando, summa industria usus, perseverabat, et jam anno **Mdccccxix** opus illud insigne divulgare potuit, quod inscribitur *Untersu-
chungen über den Magnetismus der Erde*, et Christia-
niæ sumptibus regis augustissimi Caroli Joannis compa-
ruit. Duobus annis post mutationes intensitatis, quæ quotidie fiunt, invenit, et anno **Mdcccxxvi** primus tabulam, intensitatis indicem, publici juris fecit. Sed quominus hisce studiis auspicatissimus finis imponeretur, imprimis obstitit, quod ex Sibiria, ubi intensitas magnetica major est quam ullo alio loco, prorsus nullæ exstabant obser-
vationes. Vehemens igitur Hanstenium cepit cupiditas hujus terræ visendæ, plerisque, ne dicamus omnibus, Eu-
ropæ incolis adhuc ignotæ, et a rege magnisque regni comitiis petere ausus est, ut sibi publicis impensis in Sibiriam proficiisci liceret. Qui est laudabilis nostri regi-
minis artium litterarumque favor, voti compos factus est et annis **Mdcccxxviii** seqq. per Russiam Sibiriamque ce-
leberrimum illud iter fecit, quod senex peculiari opere festive ac eleganter descripsit. Doctos naturæ indagatores remotæ illæ regiones tum viderunt paucos; nondum ce-
leberrimus Humboldtius Asiæ montes visitaverat.

Quæ patria Hanstenio debeat hoc loco non enumera
randa sunt; sed sufficiet dicere ejus consilio egregiam
astronomicam speculam anno MDCCCXXXII conditam esse,
eo rectore ac præside pene totam Norvegiam trigonome-
trice et geographice descriptam, ejus auspiciis tabulas
litoris norvegici maximam partem esse confectas, ejus
auctoritate pondera mensuramque hujus civitatis publice
esse constituta, denique non solum academicam juventu-
tem, sed etiam permultis erectioris ingenii homines,
militaribus officiis functos, ejus disciplina usos esse.

In permultas Societates doctas Hanstenius receptus est,
etiam mons in Luna observatus ejus nomine appellatur.
Anno MDCCCLVI, quum semisecularia publici muneris
celebraret, Universitas nostra, gratum animum testifica-
tura, memorialem nummum excudendum curavit, in quo
leguntur hæc verba : « SPLENDET IN ORBE DECUS ». Inse-
quentibus annis, impetrata a rege venia, publice legendi
officio liberatus erat, donec anno MDCCCLXI munus aca-
demicum abdicavit, ita tamen, ut ei in domicilio ad spe-
culam astronomicam, cum munere conjuncto, quoad vi-
veret, habitare concessum sit. Quum fatis nuperrime,
ad annos Nestoreos pene provectus, tandem concessisset,
funebria justa viro celeberrimo Universitatis auspiciis
solenniter et magnifice facta sunt, publica laudatione ab
Olae Jacobo Broch, V. Cl. Matheseos professore, in aula
academica habita, et cunctis magnorum regni comitio-
rum membris, regiis consiliariis, supremis regii judici-
bus, omnibus fere ingenuis hujus urbis ordinibus funeris
exequias comitantibus. Jussu absentis regis augustissimi
aderat aulæ regiæ præpositus.

Christianiæ, die xxx mensis Maji anno MCCCLXXIII.

C. HOLST,
Secretarius Universitatis.